



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Officivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

fit contra Deum est grauissimum peccatum, secundum Thom. ibi. a. 1. cum nihil sit in Deo quantum est ex se odibile, cum sit simplex bonitas. Si sit contra proximum ex suo genere mortale peccatum est, quia directè contra charitatem est: licet ex imperfectiōne actus, quandoquē sit veniale, sicut alia peccata.

<sup>2</sup> Qui odit non proximum, sed eius prauos mores, vel inimicitiam, quam tenet contra charitatem, non propriè odit proximum, & consequenter non peccat: quoniam & Deus odit impios, & eorum impietates. Et qui odit bonum proximi, etiā ad bonum finem, vt puta, ad correctionem, non peccat: quia hoc est magis amare proximum, quā odire. Et qui velle proximum puniri iustitia mediante, secundum eius demerita, non liuore vindictæ, sed magis zelo iustitiæ, & vt alij timeant, non peccat: quia hic est affectus iustitiæ vindicatiuæ.

<sup>3</sup> Quomodo non debet quis propter odium subtrahere communia beneficia, supra. Charitas. §. 1. Sunt tamen hortandi homines, vt ab inimicis non subtrahant consueta beneficia colloquia, & huiusmodi: etiam extra articulum necessitatis, vt omnis spiritus odij de mente eradiceatur, & inimicus ad bonum prouocetur, exemplo Christi, qui ludæis illum persequentibus, prædicationis, & curationis beneficia non subtraxit.

## OFFICIUM.

Officium seculare vendere licet dominis, dummodò vendant personis, de quibus possit præsumi, quod sint vtilis ad talia officia exequenda, & quod non vendantur tanto pretio, quod recuperari non possint sine grauamine virorum subiectorum. Attamen quamuis possint hoc modo licitè vendi, nihilominus non expedit, quia illi, qui ad huiusmodi officia essent magis idonei, quandoque sunt pauperes, & non possunt emere, vel si sunt diuites, non ambiunt officia, nec aspirant ad illa propter lucrum. Vnde magis videtur expediens, vt boni homi-

nes eligantur, & etiam inuiti compellantur secundum S. Tho. ad ducillam Prabantig. Est etiam hoc perniciosum satis reip. secundum Caiet. ibi in summa, quia communiter indigni habent officia, vbi sunt venalia. Tollitur etiā ratio studiorum, & honorum virtutum, ex eo quod non nisi pecunia habentur officia, non virtus, sed pecunia honoratur, venditur plerunq; astus iustitiæ, & multa alia mala sequuntur: vt testatur experientia, per quam videmus reip. ruinam. Et quia actiones humane iudicandæ sunt secundū quod in pluribus inuenitur, ideo huiusmodi venalitates vt abominabiles extremandæ sunt, ex quo concludo, quod licet speculatiuæ sint licitæ, secundum tamen quod nunc sunt in vsu, non sunt exercendæ. supra, Dominus. §. 10. An officialis possit aliquid recipere supra, Dominus. §. 13.

## OLEUM.

Oleum sanctum, quod chrisma dicitur, conficitur per episcopum in die cenæ, & non alio die, ca. omni tempore, de conse. dist. 4. Fit ex oleo, & balsamo, cum quo benedicuntur fons baptismalis, calix, patina, ecclesia, altare, episcopi in manibus, & capite quando consecrantur, puer baptizatus in fronte & vertice, omnes fideles quando chrismanantur, & est omnino consecrandum & innouandum, c. si quis de alio, de conse. dist. 4. Grauius quoque punitur sacerdos vitis in baptismo de alio, quā de hoc nouo, per d. c. si quis de alio. Est & oleum catechu minorum confectum per episcopum, quo inunguntur baptizati inter spatulas, & in pectore, & manus sacerdotis cum ordinatur, principes, & reges in brachio, & humero, ecclesia, & altare ante chrisimationem. Tertium oleum est sanctum, quo vnguntur infirmi in mortis articulo, infra. Vnctio, per to. & in cap. vn. de sac. vnct. De secundo, & tertio oleo, non inuenitur prohibitum, quin alijs diebus possit confici, sicut de primo, vt in d. c. omni tempore, &c. quoniam, de sent. excomm. in 6. Oleum non sacramentum ad di-